

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO - CHIRURGICA

ENTHLASIN
CRANII
SPONTE RESTITUTAM
EXHIBENS

QUAM
NUMINE DIVINO FAVENTE
EX CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
IPSIQUE ANNEXA PRIVILEGIA

RITE CONSEQUENDI
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

S U B J I C I E T


JOHANNES GEORGIUS
OBERTEUFFER
HERISAVIA - HELVETUS

DIE XII. NOVEMBRIS A. R. S. MDCCCLXXI.

H. L. Q. C.

Argentorati, Typis Joh. Henr. Heitzii, Universitatis Typogr.






V I R O
ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO
D O M I N O D O M I N O
A D R I A N O
DE M E Y E R
GENERALI LOCUM TENENTI
EXERCITUUM REGIS SARDINIE
P R A E F E C T O
LEGIONIS PEDESTRIS HELVETICÆ
ORDINIS REGII MERITI MILITARIS
E Q U I T T I &c. &c.
AVUNCULO SUO ET SUSCEPTORI
E SACRO BAPTISMATIS FONTE
SUMMOPERE VENERANDO
UTI ET
V I R O
N O B I L I S S I M O A M P L I S S I M O
D O M I N O
L A U R E N T I O W E T T E R O
R E I P U B L I C Æ A P P A T I S C E L L A N Æ P R A E F E C T O
M E R I T I S S I M O
P A T R I Æ P A T R I V I G I L A N T I S S I M O
C O G N A T O A T Q U E F A U T O R I S U O
Æ S T U M A T I S S I M O



NEC NON
V I R O
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
J O H A N N I H E N R I C O
O B E R T E U F F E R O
M E D I C . D O C T O R I A T Q U E P R A C T I C O
C E L E B E R R I M O
P A T R I Q U A M D I L E C T I S S I M O
S P E C I M E N H O C C E A C A D E M I C U M
S A C R U M E S S E V O L U I T
T A N T O R U M N O M I N U M
O B S E Q U E N T I S S I M U S
A U C T O R .





P R A E F A T I O.

Equidem decreveram, B. L. cum, honores doctorales ambiens, de conscribendo Specimine inaugurali ex instituto celeberrimæ Academiæ Argentinensis, cogitarem, ex illa Scientiæ parte, quæ Artem obstetriciam tractat, feligere scribendi materiam, cum & multum operæ impenderim momentosæ huic Arti addiscendæ ideoque aliqua mihi in eam prædilectio sit, & supersint quoque in ea hinc inde lacunæ, experimentis observationibusque replendæ. Sed cum jam totus in eo essem, ut operi me accingerem, ecce remoram insuperabilem

injectit urgens patriam repetendi necessitas , quæ
haud finit certe longæ elaborationis opus aggredi ,
temporisque compendium facere cogit . Cumque
eodem fere tempore sequentem observationem ela-
borandam offerret Vir Excellentiss . quem laudandi
occasionem mox habebo , eam eo lubentius pro
Dissertationis themate elegi , cum utilius nihil sit
in Arte medica perficienda , quam fideles morborum
historiæ ab eruditis Viris annotatæ . Quandoqui-
dem vero temporis angustia me premit , æqui bo-
nique consulat velim Fautorum indulgentia , quod
missis cæteris generalioribus capitis vulnera spe-
ctantibus , ea potissimum , quæ ad dijudicandum
casum nostrum faciunt , proposuerim , præsertim
cum non desint uberrimi fontes , ex quibus ista
haurire possint , qui amplius erudiri desiderant .



O B S E R V A T I O.

Vir viginti novem annorum, nautam agens tempore vespertino primo mensis Junii 1763 ex quodam diversorio pagi, Eckwersheim dicti, egressus, à quibusdam rusticis hostili manu eum invadentibus, præter diversos alias ictus, præfertim unum baculo satis forti in os parietale dextri lateris accepit. Die secundo ægroto in urbem translato, ejus consanguinei accersivere statim dexterimum D N. BECKER, Artis chirurgicæ Peritisssimum Practicumque felicissimum. Hic ægrotum examinans invenit in latere dextro capit is, fere in medio parietalis ossis, magis tamen versus ejusdem marginem inferiorem, inclinans leve quoddam vulnusculum, satis insigni intumescens junctum, per quod specillum immissum, ad usque aponevrosis muscularum frontalis & occipitalium penetravit. Insuper observavit contusionem maxillæ inferioris sinistri lateris; haud parva intumescens comitatem: ita ut maxilla versus sinistrum fortiter inclinaverit latus, & ægrotus simul largam ejecerit sali-

væ copiam. Porro in dorso, natibus partibusque posterioribus femorum sanguinis extravasati stagnantisque plurima reperiit vestigia. Cæterum nullis periculofis symptomatibus æger adhuc fuit vexatus, nulla hæmorrhagia narium, aurium oris ve fœse manifestabat; pulsus erat durus & frequens, quam ob causam statim venæfæctio in brachio insti-tuebatur; quoad secretiones atque excretiones, hæ adhucdum rite peragebantur. Chirurgus dein lin-teamentis carptis Peruviano Balsamo humectatis vulnus replevit, & latera emplastris junxit glutinantibus. Loco tumefacto superimposuit lintea-menta duplicata, vino albo cum speciebus resolven-tibus cocto ebria, eaque firmavit ac textit fascia capitali simplici. Illa corporis loca, in quibus san-guinis extravasati stagnantisque reperta fuere vesti-gia, spiritu vini camphorato lavabantur.

Dic tertio motus febries magis etiam exacerbati fuerunt; pulsus erat multo frequentior plenior-que, ideo mane in pede sinistro venæfæctio fuit in-stituta; interne ægroti propinatae fuerunt potiones diluentes nitratæ, injectaque clysinata ex fero lactis & Nitro. Serotino tempore Chirurgus ægrotum visitans nullam pulsus invenit mutationem; hinc venæfæctio in dextro pede reiterata fuit.

Die

Die quarto pulsus inveniebatur mollis , natu-
rali tamen paulo frequentior ; intumescentia capi-
tis & maxillæ inferioris insigniter simul erat dimi-
nuta. Chirurgus dum pressit leniter os parietale ,
aliquid vacillare distinctissime sentiebat ; nocte sub-
sequente quoque soporosis affectibus , intervenien-
tibus non raro deliriis , excruciatum ægrotus.

Die quinto paralyssi fuit affectus lateris sinistri ,
præcipue digitorum ejusdem lateris , eodem & tem-
pore linguæ paralysis sese manifestabat ; balbutie-
bat enim ægrotus , motus convulsivi dextri lateris
faciei simul fuere observati.

Die sexto omnia supra enarrata symptomata
non modo eadem sævibant vehementia , sed sopor-
osi affectus insigniter adhuc fuerant aucti : Igitur
tam ex hisce symptomatibus , quam ex depressione
ossis tactui distincte sese offerenti Chirurgo de cra-
nii fractura certissime judicare licuit. Tali rerum
facie hoc adhuc die in consilium vocati fuere Exc.
atque Experientiss. D N. P F E F F I N G E R , *Patholog.*
Clinicesque Prof. P. O. Fautor Præceptorque meus
nunquam satis venerandus , nec non Experientiss.
D N. B O E H M , *Archiatr & Consiliarius Sareponitanus*
& *Furstenbergensis* , *Xenodochii Civitatis Medicus pri-*
marius , *Senat, majoris Afferor* , Exp. D N. E H R M A N N ,

B

Med. D. atque Prof. Publ. Extraord. qui hancce Observationem mihi communicavit, & cujus in Clinica Praxi præcepta me in Nofocomio civium haussisse, grata non desinam recolere mente; Dexterr. *Dn. ZIEGENHAGEN, Artis chirurgicæ Practicus famigeratus.* Cl. hi Viri, rimatis perpenisque omnibus circumstantiis, ut in parte læsa capitis incisio fieret, necessarium esse duxerunt. Hocce consilium consanguinei ægroti statim approbarunt; æger vero, qui per aliquot momenta sui composuit, huic operationi sese subjicere noluit, quam ob causam eadem procastinata fuit.

Die septimo symptomata dicta pari atrocitate fævibant; quum autem ægrotus obfirmato animo operationi sese subjiceret, statim Dexterr. *Dn. BECKER* incidit integumenta & musculum crotaphitem trianguli adinstar, & quidem cautissime; partem enim ossis fractam fortiter vacillare sensit. Separatis & abscissis integumentis depresso partis fractæ parietalis ossis ab adstantibus Cl. Viris distincte videri sentirique potuit. Depressionum illa aderat species, quæ Chirurgis *Ερδλασις* audit; impossibile autem hoc tempore Chirurgo fuit, partem depresso ossis elevare, propter arteriam temporalem incisam, quæ sane largam sanguinis effudit copiam;

quam hæmorrhagiam iste linteis compressis Spiritu
vini rectificatissimo ebriis, fascia supra nominata
firmatis, & quadam vi incisæ arteriæ appressis, com-
pescuit.

Die octavo tempore matutino, nemine præter
aegrum & ejus uxorem in conclavi versante, illa af-
fidens lecto mariti dormientis, subito sonitum satis
perceptibilem audivit contingere in capite mariti;
ipse statim postquam hoc contigit, evigilavit, inque
lecto exsultavit, & gemens dextra manu laesam cra-
nii partem attigit; verum post huncce sonitum
statim omnia symptomata supra recensita cessavere.

Horis quibusdam præterlapsis deligationis tem-
pus advenit, cui dicti Clarissimi denuo interfuerunt
Viri, quibus facta, audita, visaque narravit ægroti
uxor. Statim Chirurgus vulnus denudavit, & mi-
ro sane spectaculo accidit, ut ne minima quidem
depressio partis fractæ parietalis ossis nec tangenda
nec videnda fuerit: è contrario depressa antea ossis
pars congruum sibi tenebat locum. Singulare ve-
ro istud phænomenon, uti par fuit, omnium ad-
stantium excitaverat admirationem. Vulnus dein
linteis carptis balsamo Peruviano cum melle rosarum
humefactis repletum fuit, & emplastris glutinanti-
bus junctum, dictaque fascia deligatum, ac postea

sanatum, uti omnia vulnera integumentis capitis
æque ac aliis inficta, à rationalibus Chirurgis sana-
ri solent.

Die nono hic vir optime fese habebat, & pars
ossis suum decentem adhuc occupaverat locum.
Hodie prouti antea suis incumbit negotiis, sanissi-
meque vivit. Omnia autem & præsertim difficilio-
ra pronunciatiu verba adhucdum distincte pronun-
ciare non valet. Pars illa ossis, quæ depressa &
sponte in suum decentem situm restituta fuit, unius
digiti longitudinem & duorum latitudinem æqua-
bat; quod ex eminentiis callosis dijudicari potest,
quæ hodienum tactu percipi possunt, quas & ego
tetigi, & quisque harum rerum curiosus examina-
re potest.

§. I.

In capitib[us] læsionibus judicium difficile, prognos-
sin dubiam, ancipitem s[ecundu]m curandi viam esse,
agnovere iam Artis Statores, & summus præpri-
mis HIPPOCRATES a), quod relictus ab eo de hac

a) EJUS de *Vulneribus Capitis* egregius Liber extat in *Opp.*
omn. edit. VAN DER LINDEN Tom. II. p. 687. sqq.

materie liber testatur. Non mirum itaque, quod a longo retro tempore desudaverint optima Chirurgorum ingenia in exponenda horum affectuum natura, atque indicanda vera curationis via; equidem haud permittit mihi brevitatis studium, quæ quisque in hacce re præstiterit dijudicandi, measque etiam vires id superaret; sed postulat tamen rei ratio, ut recentissimorum Cl. Virorum doctrinam illamque vero sane proximam, de nostro morborum genere exponam, quæ & normam nobis subministrabit, recensitam observationem eo aptius dijudicandi: & licebit mihi hac ipsa in re esse brevior, cum laudabili jam industria atque elegantia hæc exposuerit Cl. K E E S b). Scilicet, ubi capite feritur homo, ita ut in externis ejus partibus læsio non subsistat, sed internas etiam partes afficiat, duplex est corporis in cranium agentis effectus; pars enim vis percutientis in frangendis calvariæ ossibus absurmitur, reliqua vero pars in ipsum mollissimum cerebrum ag.t, ut inde commoveatur debilitenturque ejus vasa, quæ ocyus serius cruentum sive inter calvariam cerebrumque, sive intra ipsam ejus substan-

B 3

b) vid. Ejus egregiam Diff. de *Læsionibus Capitis*, Argent.

1770 habitam,

tiam dimittunt. Quodsi igitur vis percutiens in
frangenda calvaria perit, non concusso viscere ipso.
c), læsio sine periculo est, atque levi opera curabi-
tur; ubi vero ita resilit calvaria, ut nihil vel pa-
rum patiatur, totaque vis percutiens impendatur
commovendo cerebro efficiendæque sanguinis effu-
sioni, dira tunc symptomata apparere solent, quæ
& Medenti quandoque terrorem injiciunt, quæque,
si primo statim ab ictu momento sese fistunt, nobil-
lis visceris commotioni, si autem post aliquod tem-
poris spatiū demum apparent, sanguinis intra
cranium effusioni suam debent originem. Tandem
& observationes testantur, commotionis atque ex-
travasationis effectus, cum se invicem confundi,
in eoque casu a primis statim acceptæ læsionis mo-
mentis per plures dies non interrupta serie favere
symptomata. Pulchre haec docuere Cel. PETIT d),

- c) In hunc censum venit perrara Cel. MANNE observatio,
quam in Tractatu peculiari exposuit, cui titulus : *Ob-
servation au sujet d'une Playe à la Tête*, Avign. 1729.
Effracto enim cranio, & læso ipso cerebro, non tamen
commoto, liber mansit ægrotus ab omni symptomate,
nec ulla turbata fuit functio.

- d) in Epist. grat. Opusc. cit. adjecta.

Cel. QUESNAY *e*), Cel. MANNE *f*), atque post eos novis exemplis comprobavit modo laudatus Cl. KEES *g*).

§. II.

Ex hac doctrina non solum omnia, quæ capite percussis superveniunt symptomata, lucem suam accipiunt, sed & quæ hactenus miranda visa sunt in his casibus phænomena, scite explanari possunt; secundum eam & noster casus pulchre sane poterit dijudicari. Ictum exceperat æger in dextro capitis latere, quo percussum fuit os parietale; ex eo ictu non solum fracta calvaria, sed commotum quoque cerebrum; præcipue verò debilitata ruptaque fuisse vasa ex eo deducere licet, quod primo statim infortunii die acuta febris, dein sequentibus sensim sensimque sopor, paralysis, convulsiones supervenerint; symptomata, quæ ex cruris in encephalon pressione, indeque nata irritatione oriri

e) Mem. de l' Acad. de Chir. T. I. p. 198. sq.

f) loc. cit.

g) loc. cit.

h) Talem observationem satis memorabilem habet Cel. QUESNAY in Mem. de l' Acad. de Chir. T. I. p. 199. cuius Auctor est Cl. BOUDON.

solent, quin & fugata s^epe redeunt redeuntque b). Neque miraberis, minorem hic fuisse cerebri commotionem, cum multa vis ferientis pars in frangendum os abierit; scite enim distinxit Cel. LE DRAN i) capitibus l^eSIONES in binas classes, quarum una comprehendit ictus a lapsu factos in corpus durum atque resistens; altera vero eos, qui a corpore contundente aliqua vi in caput acto eveniunt. In priori casu major c^ateris paribus cerebri commotio, minor calvariæ offensio; in posteriori vero contraria ratione hæc sese habent. Cumque ad hanc classem pertineat casus noster, evidens fit exinde ratio, quare cerebro minus valide commoto non statim primis diebus s^evierint symptomata, sed supervenerint demum extravasationi, quæ ex ruptis anastomosique dilatatis vasis deinde exorta est.

§. III.

Sed & l^eFORUM ossium ratio habenda in omni calvariæ l^esione. Prolixus nimis essem, actamque rem iterum agerem, si ex Chirurgorum libris multifarias harum l^esionum divisiones exscribereim, quas luculenter exposuit Cel. PLATNER k), qui in omnium

i) *Observat. de Chirurgie* Tom. I. Obs. V. p. 109.

k) *Instit. Chirurg.* §. 527. sqq.

omnium manibus versatur. Nostro in casu illam
fracturæ speciem adsuisse, quam Εὐδλαστίν vocarunt
Auctores, ex ipsa morbi historia elucet. Demon-
strant nimirum observata, ex causa feriente quan-
doque intropimi calvariæ partem, idque in infan-
tibus sine fractura fieri solet, quippe quorum ossa
mollia sunt, atque ceræ adinstar flecti possunt; hæc
θλαστίς est; ἐνδλαστεος vero nomen sortitur affectus, ubi
cum fractura desedit calvæ frustum, idque in adul-
tis fere aliter fieri nequit, nisi mollia præter natu-
ram ossa sint, & in nostro ægroto id evenisse & sty-
lus immissus docuit, & Cl. Virorum, qui curæ præ-
fuerunt, inspectio. An autem ab intropressa cra-
nii parte nullum periculum? Thlasin quidem in
infantia acceptam, neque restitutam quandoque
impune ferunt homines per totam vitam *l*); en-
thlasin vero majus periculum præ se ferre prone
concludi poterit, si consideras fracti ossis pressionem
in ipsum cerebrum nequaquam tolerandam, irrita-
tionem membranarum cerebri, adeoque inflam-
mationem a scindentibus pungentibusque effractis
frustulis, qui instar aculei agunt *m*), ideoque sum-

C

l) dōcente Cel. PLATNERO *Libr. cit.* §. 556.

m) *I. c.* ubi & memorabilia hæc verba addit: *Quare, si cura-*

mo sane jure incisionem integumentorum ad locum usque affectum, id est os fractum, decreverant eruditissimi Medentes, ut non solum magis ad oculos pateret laesio[n]is aspectus, sed ut aptis quoque auxiliis, scilicet applicito post terebrationem elevatorio *n*) attolleretur depressa ossis parietalis pars, aque omni pressione cerebrum liberaretur.

§. IV.

Ast, dum haec prudenter moluntur Viri experientissimi, en mirum phænomenon! etenim sine artis auxilio restituitur pars depressa, solo Naturæ opere, raro quidem sed non unico exemplo *o*; de

tio negligitur, ex cerebro per rimam patentiorem pus feratur; si aer accedit ulcus, putrescedo intenditur, que veluti fungus, celerius etiam super calvariam crescit.

n) ut ossa depressa eleverentur, varias encheires & varia instrumenta a Chirurgis fuere excogitata. Inter haec sic dicta elevatoria eminent, e. g. illud, quod *tirefond* audit, elevatorium triploides illud **HILDANI**. Vectem quo hodie adhuc utuntur Chirurgi, in aptiorum formam redigit Cel. **PETIT** *Mem. de l'Acad. de Chir.* Tom. II. p. 151. illudque Cel. **LOUIS** iterum magis perfecit. vid. *Lib. cit.* Tom. III.

o) Thlasin quidem in infantibus sponte restitui novum

enthlaſi autem rarius eſt. Tamen binæ recenſen-
tur obſervationes p), omni dubitatione maiores,
in quibus oſſa depreſſa ſponte fuere reſtituta : Cl.
A V E L L A N narrat, "qu'une fille de quatorze ans
„reçut un coup à la tête, ſuivi d'assoupiſſement,
„d'envie de vomir & de delire, à cauſe d'un enfon-
„cement au parietal droit. Ces accidens deman-
„doient le trépan ; mais la mère de cette jeune fille
„ſ'y oppoſa abſolument. L'assoupiſſement & le de-
„lire perſévererent pendant trois mois, & tinrent
„la malade dans une eſpece d'imbecilité ; l'os fe re-
„leva peu à peu, & les accidens diſparurent enfin
„entièremenſt." Cl. D U P R E Y adducit obſervatio-
nem ſequentem: "Un enfant âgé de dix ans, tomba
„de treize ou quatorze pieds de haut ſur la tête ; il
„ſe fit deux tumeurs au haut de la tête, placées en
„partie ſur le coronal, & en partie ſur les parie-
„taux, l'une à droit de la grotte d'un œuf de pou-
„le, l'autre à gauche, d'un volume encore plus

C 2

non eſt ; vid. Cel. PLATNER §. 556. idque ſanguiniſſ
motui tribuit, in teneriora oſſa agenti.

¶) Mem. de l'Acad. de Chir. T.I. pag. 312.

„considérable. Msr. DU PREY ouvrit ces tumeurs,
„& trouva les deux parietaux découverts, le droit
„de la largeur d'un pouce, & le gauche un peu
„plus avec fracture. Un des bords de cette fractu-
„re s'étoit tellement enfoncée & écarté de l'autre,
„qu'il permettoit de passer une spatule dans la cavi-
„té du crâne; outre cette fracture il y avoit un écar-
„tement à la suture coronale, par lequel on intro-
„duisloit facilement un stilet. L'enfoncement des
„os & un épanchement qui s'étoit fait sur la dure
„mère, exigeroient le trépan; on s'y determina
„même d'abord cependant il fut différé, & par ce
„délai l'opération devint inutile. L'écartement,
„joint à la situation, que Msr. DUPREY donna au
„malade, procura vers le cinquième jour une issue
„au sang extravasé, l'os se releva ensuite de lui
„même, & tous les symptômes disparurent. Le
„cinquantième jour une portion considérable de
„toute l'épaisseur de la table externe du pariétal
„gauche tomba par l'exfoliation, & peu de tems
„après la playe fut cicatrisée". Igitur quod in his
duobus memorabilibus sane casibus contigit, & in
nostro contigisse nemo dubitat, nisi qui temera-
rio ausu Experientissimorum Virorum, qui curæ
præfuerunt, in observando diligentiam atque fidem

suspectam habere non erubescat; sed cum memorabiles omnino circumstantiae hanc restitutionem comitatae sint, oportet eas proprius rimari. Et primo quidem depresso cranii partem maximopere vacillasse, morbi historia docet, atque certe eo facilius minimo naturae conatu restitui potuit; porro vero salva Experientissimorum Observatorum auctoritate non inepte suspicari mihi videor, intra illud, quod ab una deligatione ad alteram effluxit, temporis spatium sensim rediisse ossis frustum in decentem suum locum, eadem ratione, qua id in allegatis observationibus factum est q). De sonitu enim, quem audivit in mariti capite femina, minus idoneus testis in re tanti momenti, omnino me dubitare fateor. Quia autem vi restitutum est os? an sua elasticitate? an ab arteriarum cerebri motu? Id ego quidem in medio relinquam, cum non nisi merae conjecturae sint, quas hic proponere queamus; itaque facti certitudine contentus, ab ulteriore inquisitione desistam; qui enim hariolandi pruritus agitatur, ille hallucinandi periculum sæpenumero incurrit.

C 3

q) Erant enim harum observationum subjecta ejus ætatis, quam ad adultos rite referre possumus, adeoque non thlasin, sed enthalasin adfuisse plus quam probabile est.

§. V.

Periculose vero decubuisse ægrotum nostrum ille non potest non perspicere, qui læsas cerebri functiones, atque dira symptomata perpendit, quæ ægrum nostrum excruciavere, facile in mortem ipsam desinentia. Metus enim erat, ne effusi intra cranium humores putrescerent, inque suæ labis consortium traherent ipsum nobilissimum viscus. Ubi vero in tanto discrimine res versatur, omnes Medentis conatus eo dirigendi sunt, ut resorbeatur iterum effusus cruor, cujus rei possibilitatem & demonstravit Ill. L. B. VAN SWIETEN ^r), & experimentis comprobaverunt Cel. PORTAL ^s) atque Cl. KEEs ^t). Ad id vero præstantissima auxilia sunt ea medicamenta, quæ resolventium nomine nota sunt Medicis. Inter ea vero venæsectio repetita, sacculi capiti impositi herbis cephalicis reple-

^r) *Comment. in BOERHAAVII Aphor.* §. 279. vidit Vir Illustr. tumorem sanguineum infantis caput æquatum ita dissipatum; ejusdem sententiae est Ill. MORGAGNI de Sed. & Caus. Morb. T. I. Ep. II. n. 16.

^s) *Precis de Chir. prat.* T. II. P. I. Ch. I. p. 353.

^t) *Diff. cit.* p. 31. Ille aquosos cani liquores intra crani cavitatem immisit; hic verum sanguinem; uterque vero intromissum fluidum vidit resorptum.

ti, potus diluentes, quibus & resolventia immersa sint, atque tandem vesicantia primarium locum tenent ^{u)}). Cum itaque plurima ex his ab Eruditissimis Observatoribus prudenter fuerint administrata, colligimus exinde apto certe ratiocinio, symptomatum gravissimorum cessationem non solum ossis restitutioni esse adscribendam, sed etiam, & maxima quidem ex parte aptæ istorum auxiliorum administrationi, de quibus mox diximus; ea enim secundum strictissimas artis regulas fuisse usurpata, nullatenus dubitare licet.

§. VI.

Atque sic quidem potissima Observationis nostræ capita perpendisse mihi videor; sed iubet tamen etiam de calvariæ terebratione aliqua delibrare cogitata, quæ casus nostri attenta consideratio suggerit. Ubi scilicet Auctores consulimus, multipli-
ces videmus esse indicationes, quibus ad celebrandum trepanum inducuntur Chirurgi. Eas erudite diduxit Cel. QUESNAV ^{x)} in egregio Tractatu, ex

^{u)} Horum medicamentorum virtutes amplius diduxit Cl.
KEES Diff. cit. §. XIII. sqq.

^{x)} Mem. de l' Acad. de Chir. T. I.

quo supra memoratas observationes excerpti, inque
tres præcipue classes distribuit; requirit scilicet te-
rebram os depresso, requirunt sœva symptomata
capite percussorum, eaque præcipue, quæ extrav-
fationi potius quam commotioni debentur; requiri-
runt tandem dolores capitis pertinaces nullo alio
auxilio fugandi. Hæc si perpendimus, duplex cer-
te aderat terebrationis in nostro casu indicatio; os
nempe depresso, atque ægri symptomata; sed
probavit etiam Cel. QUESNA V memorabilibus
observationibus, inter quas referendæ ex, quas
supra citavi, natura quandoque auxiliatrice enthla-
fin restitui sponte, ut terebra non sit opus; in eundemque
censum & nostra pertinet observatio. De-
inde vero quod alteram attinet indicationem, ma-
ximi certe Viri sunt, inter quos Ill. MORGAGNI y)
nominasse sufficiat, qui plus fiduciæ in resolventi-
bus medicamentis ponunt, quam in terebræ appli-
catione, quare eleganter dicit Cl. KEEs z), ope-
rationem hanc non nisi eis viris esse demandandam,
qui justam magnarum rerum fiduciam habent; er-
go

y) de Sed. & Caus. Morb. Tom. II. Epist. LII. n. 12.
sqq.

z) Diff. cit. p. 40.

go prudenti quoque consilio a trepanatione abstinuere Eximii Viri, qui ægri nostri curam gesserunt, cum tam felici successu coronata fuerit eorum mendendi methodus, ut omnia symptomata brevi fuerint evanida. Os restitutum callo iterum fuisse co-alitum, naturæ tramiti in consolidandis ossium fracturis consentaneum est, cum, pronunciante CELSO callus veluti ossis cicatrix sit. Denique vero & illud corollarium ex nostro casu deducere licet, quod perperam HIPPOCRATES a) reliquique Veterum crotaphytis musculi læsiones pertimuerint, cum nihil habeat hic musculus præ cæteris carnibus corporis humani, quod tantorum symptomatum causa esse possit, ubi iste læsionem accepit.

Hæc sunt, B. L. quæ hac occasione habui propoundeda, immatura forte nec satis digesta. Tu vero ut benigne de eis judices quæso, & aliquid condones juveni, haec tenus in scribendo nondum exercitato-

a) vid. Cel. PLATNER *Lib. cit.* §. 544.



OTQ , MUNISTI CROBO OBIRBQ MURSUPS ENXULB
fistiq fredoq ongi iurioni aliciusini otco

D

THESES.

I.

Inter eas, quæ calculofis adhibentur, operatio-
nes, CHESELDENI & methodum & instru-
menta reliquis præfero, quæ hucusque a magna
Auctorum turba fuere excogitata & descripta.

II.

Vulnera pura nullis egent medicamentis, quia
hæc magis nocent quam prosunt.

III.

Quid ad conceptum uterque sexus conferat, id
a natura ita obvelatum est, ut fere desperandum sit
illud unquam apertum fore.

IV.

Effluxus aquarum putrido odore fartarum, pro
certo infantis mortui signo haberi potest.

V.

Si caput infantis per spatum sex horarum vel in superiori, vel in inferiori pelvis apertura hæret, melius consulitur & matri, & infanti, si forcipis ope extrahitur, quam si naturæ relinquitur partus.

VI.

Compressio, quæ ab applicatione forcipis in caput infantis fit, nullum infanti damnum affert.

VII.

Infans forcipis ope extractus & mortuus, non ex applicatione forcipis, sed ex alia causa mortuus est.

VIII.

Caput infantis abruptum vel in utero vel in vagina remansum, melius forcipis, quam aliorum instrumentorum ope extrahitur.

§. IX.

Disruptio tunicarum fœtum obducentium melius Naturæ relinquitur, quam ope digitorum promovetur.

§. X.

Graviditatis nullum, præter infantis motum, certum existit signum.

XI.

Si caput infantis forcipe extrahitur, priusquam uteri orificium ad illum usque apertum est diametrum, ut diametro capitinis æqualis sit, uteri inflammatio causari potest.

XII.

Infans, cui funiculus umbilicalis prolapsus est, & inter caput pelvisque ossa hærens fortiter comprimitur, minime ex abundantia, sed ex defectu sanguinis moritur.



Straßburg, Med. Diss., 18

ULB Halle
008 564 809

3



KDIP



DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO - CHIRURGICA
ENTHLASIN
CRANII
SPONTE DESCEPTELLAM

NUMIN
GRATIOS
PRO
GRADU
IPSIQU
SOLEMNI
JO H A N
OB
DIE XII. NO

Argentorati, Typ

